

P. PAPINI STATI

- in ecum maximum feci, indulgentissimo imperatori po-
 20 stero die quam dedicaverat opus, tradere est iussum. 'po-
 tuisti illud' — dicet aliquis — 'et ante vidisse.' respondebis
 illi tu, Stella carissime, qui epithalamium tuum, quod
 mihi iniunxeras, scis biduo scriptum. audacter mehercules,
 sed tantum tamen hexametros habet et fortasse tu pro
 25 collega mentieris. Manilius certe Vopiscus, vir eruditissi-
 mus et qui praecipue vindicat a situ litteras iam paene
 fugientes, solet ultro quoque nomine meo gloriari villam
 Tiburtinam suam descriptam a nobis uno die. sequitur
 libellus Rutilio Gallico convalescenti dedicatus, de quo
 30 nihil dico, ne videar defuncti testis occasione mentiri. nam
 Claudii Etrusci testimonium est, qui balneolum a me suum
 intra moram cenae recepit. in fine sunt kalendae De-
 cembres, quibus utique creditur: noctem enim illam
 felicissimam et voluptatibus publicis inexpertam.

I

ECVS MAXIMVS DOMITIANI IMP.

- Quae superinposito moles geminata colosso
 stat Latium complexa forum? caelone peractum
 fluxit opus? Siculis an conformata caminis
 effigies lassum Steropem Brontemque reliquit?
 5 an te Palladiae talem, Germanice, nobis